05
A
2052

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0001-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0002-6

XCII.

Diſputatio juridica

Continens

CENTURIAM POSITIONUM CONTROVERSARUM

Quam

Divina annuente gratia

SUB PRÆSIDIO

Viri Clariſſimi & Conſultiſſimi

Dn. VALENTINI GUILIELMI FORSTERI J.U.D. ET PROFESSORIS ORDINARII, PRÆCEPTORIS SUI PLURIMÙM COLENDI

Publicè diſcutiendam proponit

FRIDERICUS LENTIUS VVITEBERGENSIS.

Ad diem 28. Septemb.

In Auditorio JCtorum.

GROSSHERZOGL. MEKLENBURG SCHWERIN. REGIERUNGS-BIBLIOTHEK

WITEBERGÆ,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0003-2

...n nihil aliud est, quam dare quod sit satis ad exhortandum adversario. & cum sciendum ...

... satisd. eog. Et non minus hoc fit pignoribus captis. l. ... §. 9. de all. bon.

...is pignoribus. l. ... creditoris in rem. de R. J.

... pecunia quam res. Et. hic dicitur ... de fideiussoribus, magis tamen ipsa res. Creditores

... dari, quam fidem alterius sequuntur. Et tamen ... quod ex quacunque causa aliquid debetur. l. ...

...

... pignora.

Vide l. 5. §. 2. de V. O.

UNIV.-U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

05 A 2052

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0004-8

THESIS I.

AEquitatem ſtricto juri præferri, ubique obviam. De cujus intellectu tamen acriter controvertitur. Noſtram mentem in diſputatione explicabimus.

II.

Defenſio juris non naturalis ſed gentium in l. 3. de I. & I. proponitur.

III.

Inter jus & juriſprudentiam differentiam eſſe bene Duar. docet.

IV.

Quid habendum de vulgari illo, Doctori atteſtanti de conſuetudine eſt credendum? Videbimus.

V.

Statuta illa vulgaria mechanicorum, quibus quod unus cæpit alteri perficere non licet, invalida de jure pronunciamus.

VI.

Nimis latè accipiunt Dd. Communiter illud, quod dicitur, ſtatuta debere ſtrictè accipi. Cum tantùm verum ſit in ijs paſsibus in quibus derogant juri communi.

VII.

Quærunt Dd. an legitimatus à Papa in terris Imperij cenſeatur legitimatus? Covar. adſtipulatur Papæ. Nos ei contradicimus.

VIII.

Circa materiam citationis controvertunt noſtri: Num tota ſupplicationis copia ſit inſerenda, num verò ſufficiat, ſi cauſſa generaliter exprimatur, modo citatus adgnoſcere poſſit, quare citetur? Quod poſtremum veriùs putamus.

IX.

Ad ſatisdationem qui tenetur, jure civili, pignora offerens, non auditur.

X.

Remiſſio reorum de jure noſtro civili neceſſaria omnino fuit.

 XI. Nomi-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0005-4

XI.

Nomine pacti generaliter accepti veniunt etiam contractus.

XII.

Lubrica eſt quæſtio: an promiſſio tacenti, ſed tamen præſenti in ejus commodum facta valeat in vim pollicitationis an verò pacti? Nobis prius placet.

XIII.

Redditio chirographi inducit remiſſionem debiti. Non tamen idem de pignoris redditione adfirmo.

XIV.

Pupillus non obligatur naturaliter, ſi locupletior factus non eſt.

XV.

Nec etiam minor curatorem habens ſine eo contrahens obligatur, intellige non locupletiorem factum.

XVI.

Minor tamen probare læſionem debet, ut rectè Hartm. Piſt. docet.

XVII.

Immerito culpant Juſtinian. neotherici quidam, quod inſpectionem corporis, ad probandam pubertatem apud veteres uſitatam, ſuſtulerit.

XVIII.

Et imo ipſi culpæ ſunt obnoxij, mendacij arguentes Imperatorem, qui inſpectionem illam impudicam vocat.

XIX.

Prodigus non ipſo jure, ſed interdicto magiſtratus à bonorum ſuorum adminiſtratione ſuſpenditur.

XX.

Pactum in continenti etiam ſtricti juris contractibus adjectum ipſis ineſt, actionemq; parit.

XXI.

Sed quamnam actionem pariat, ſive jam ſtricti juris ſive bonæ fidei contractibus adjiciatur, quæſtionis eſt plane dubiæ. Placet nobis parere eandem cum contractu, cui adjicitur, actionem.

22. Inſa-

XXII.

Infamia duplex eſt facti & juris.

XXIII.

Minores ludicras tractantes artes infames fieri quidam docuit, ſed LL. conſona negans eſt opinio.

XXIV.

L. 41. C. de tranſact. locum quoq; habet in muliere. Anne etiam in hærede tranſigentis. Negantem ſequimur Fachin.

XXV.

Minor 17. annos natus procurator ad litem omnino eſſe poteſt.

XXVI.

Gravis eſt quæſtio: an ſententia pro falſo procuratore lata, à Domino ipſius putativo confirmari poſſit? Negativa nobis placet.

XXVII.

Clauſulæ ratihabitionis in mandato procuratorio omiſſionem non nocere Rauchb. ſtatuit, cui ſubſcribimus.

XXVIII.

Procuratoris confeſſionem de debito accepto, Domino nullum ferre præjudicium contra Zaſium & Sarmient. Fachin. rectè diſputat.

XXIX.

Dolus dans cauſſam contractui bonæ fidei ipſo jure contractum annullat.

XXX.

Idem de metu doctis viris placet, quibus aſſentimur.

XXXI.

In l. Extat 13. D. quod met. cauſ. omnino probatur, illum qui ſine judice propria auctoritate ſibi jus dicit, jus ſuum amittere.

XXXII.

Sed an rectè extenditur ea lex ad eum, qui propria auctoritate, ſi tamen talis interceſſit conventio, pignoris poſſeſſionem ingrediatur? Nego, quia validum eſt tale pactum.

XXXIII.

Etiam ſunt juris quidam arbitri.

XXXIV.

Satis controverſum eſt, ſi reductio fiat à laudo arbitratoris, ad quemnam ſit eundum judicem? Rectè Covar. ſtatuit adeundum eſſe

ordinarium illius, qui reus eſt in cauſſa reductionis, etiamſi antea actoris partes obtinuerit.

XXXV.

Sed anne appellabitur à ſententia talis judicis? Quidni?

XXXVI.

Criminale nobis eſt judicium in quo ad commodum publicum, civile in quo ad privatam agitur utilitatem.

XXXVII.

Cauſſas criminales per viam ſimplicis querelæ ad Cameram devolvi non poſſe Gail. docet, cui tamen Petrus Frider. contrariatur. Sed cum Rutger. Ruland. huic reſpondenti Gailium ſequimur.

XXXVIII.

Et magiſtratus Romanos judicare potuiſſe rectè Donel. ſtatuit.

XXXIX.

Civitates imperiales, ſi ſe invicem conveniant, beneficio der Auſträge gaudere, quidam opinatur: ſed magis eſt ut negemus hoc cum Gail & Fridero.

XL.

Judicium eſt legitima alicujus rei apud judicem diſcuſſio.

XLI.

Cauſſæ recuſationis in libello recuſatorio etiam de jure civili ſunt inſerendæ.

XLII.

Inofficioſi querelam ſpecialem eſſe petitionem hæreditatis cum Don. adſerimus.

XLIII.

Fruſtra ergo Dd. digladiantur, an cumulari poſſit hæreditatis petitio cum inofficioſi querela.

XLIV.

Non adgnoſcimus diviſionem uſusfructus in cauſſalem & formalem.

XLV.

Verius eſt, uſufructuarium jus ſibi conceſſum alienare poſſe.

XLVI.

Uſufructuarius verus poſſeſſor rei, in qua uſusfructus ipſi conſtitutus eſt non audit.

47. In

XLVII.

In definitione Viæ pro eundi legendum eſſe vehundi veriſſimè Don. docet.

XLVIII.

In confinio duorum ſi homicidium committatur, ad quem cognitio ejus pertineat quæſtionis eſt ambiguæ? Et licet communis ſit Dd. opinio, ad eum pertinere, in cujus territorio caput occiſi invenitur, putarem tamen, certiorem conjecturam ex infima parte ſeu pedibus deſumi poſſe.

XLIX.

Contractus in l. 19. de V. S. non definitur.

L.

Exceptio non numeratæ pecuniæ tantum intra biennium locum habet, etiamſi in ſe ſuſcipere vellet onus probandi debitor.

LI.

Minor in judicio juramentum deferre nequit.

LII.

Regulariter mulier renunciare poteſt SCto Vellejano, ſi de eo certiorata eſt.

LIII.

Anne & filiusfam. Macedoniano? Negamus.

LIV.

Vacuam poſſeſſionem emtori venditor tradat oportet.

LV.

Præcisè etiam ad traditionem rei venditæ, ſi modo poteſt, eundem teneri, nec ſolvendo intereſſe liberari cum Covar. ſtatuimus, licet multis diſſentiat Fach.

LVI.

Non licet à perfecto contractu emtionis altera parte invita, etiamſi arrhæ intervenerint, hasq; amittere emtor, duplicatas autem reſtituere velit venditor, reſilire.

LVII.

Perfecto emtionis contractu re tamen nondum tradita, periculum ejus venditori obtrudit Cujac. Communior tamen & verior eſt ſententia Dd. id emtoris eſſe.

LVIII.

L. 2. C. de reſcind. vend. etiam in feudis locum habere ſtatuimus, etiamſi nuper doctus vir in contrarium conſuluerit.

LIX.

Reſciſſa ex d. remedio l. 2. venditione ſolvatur ne hypotheca medio tempore contracta elegantis quæſtionis eſt? Stamus à parte adfirmantium.

LX.

Pactum ἀντιχρήσεως ſuſtineri poſſe elegantibus rationibus Rauchb. probat. Nos veſtigia ipſius ſequimur.

LXI.

Communis opinio adfirmans illum qui in navem reficiendam credidit jus taciti pignoris in ea conſequi, verior eſt Don. & Conn. opinione idem negantium.

LXII.

Ajunt quidam, in ſtrictis actionibus uſuras deberi citra ſtipulationem à tempore litis conteſtatæ; quod tamen nos negamus.

LXIII.

Etiam unica interpellatione quis in mora conſtituitur.

LXIV.

Probationis ſpecies vera jusjurandum non eſt.

LXV.

Communis opinio tradens hominem præſumi centum annos vivere, non admodum cum jure & experientia convenire videtur.

LXVI.

Teſtes anne præſentibus partibus deponere debent? Negat ubivis terrarum praxis. Contra hanc tamen diſputat Don. Nos ea quæ ſemper eandem habuere interpretationem non mutanda cenſemus.

LXVII.

Nulla & vana eſt CC. diſtinctio inter ſponſalia de præſenti & futuro.

LXVIII.

Diſſolvitur matrimonium præter adulterium etiam ob alia crimina.

LXIX.

Concubinatus jure civili nunquam ſublatus eſt.

LXX.

Pater etiam filiam locupletem dotare cogitur.

LXXI.

Dos profectitia mortua uxore, ſuperſtitibus liberis, non ad patrem ejus revertitur.

72. Cum

LXXII.

Cum proximus adgnatus ex aurea Bulla Caroli IV. tutor & adminiſtrator eſſe jubeatur Electoralis hæredis impuberis, uſq; ad 18. annum, quæritur, anne ei hoc jus teſtamento poſſit auferri? Negativa communius recepta & verior videtur.

LXXIII.

Pupillum rem ſua pecunia emtam à tutore utili vindicatione petere non poſſe A. Faber ſtatuit: Nos contrarium cum Donel. aſſerimus.

LXXIV.

Filiusfamilias non poteſt teſtari de bonis adventijs, ne quidem ijs quorum uſusfructus patri non adquiritur.

LXXV.

Ad exhæredationem nullæ præter enumeratas in Nov. 115. c.3. cauſſæ ſufficiunt.

LXXVI.

Filius jure civili duas quartas non detrahit.

LXXVII.

Rectè probat Rauchb. maritum deſerentem uxorem, vel uxorem deſerentem maritum omni privari lucro, quod alias ex hæreditate alterius ex ijs caperent.

LXXVIII.

Placet quibuſdam in novi operis nunciatione, requirente ædificatore à nunciante in eo ipſo actu debere exprimi cauſſam; à quibus tamen recedimus.

LXXIX.

Valida eſt omnium bonorum donatio.

LXXX.

Non prohibita ſed potius conceſſa eſt mortis cauſſa donatio inter conjuges.

LXXXI.

Poſſeſſio non continuatur ipſo jure in hæredes etiam ſuos.

LXXXII.

Inter principes Germaniæ noſtræ verſatiſſima eſt quæſtio, an præſcribatur juri reluendi pignoris 30., vel 40. annis? Obtinuit communius negans opinio.

LXXXIII.

Sententia judicis debet eſſe certa etiamſi de incerta quantitate actum fuiſſet. Non ergo valet in vim ſententiæ talis interlocutio judicis; ſolve quod debes, vel condemno te in petita ſi probata fuerint. Sufficit tamen hoc ſervare in ſorte, licet ſecus ſit in uſuris & alijs acceſſionibus.

LXXXIV.

Variæ ſunt creditorum privilegia. Unum ex ijs eſt actio Pauliana, qua creditores bona à debitoribus in fraudem illorum alienata intra annum revocant. Quam actionem in §. Item ſi quis 6. Inſt. de act. proponi communiter Dd. placuit, à quibus tamen primus & quidem rectè diſceſſit Don.

LXXXV.

Malè Dd. requirunt à victo in interdicto Uti poſſidetis ſatiſdationem de non amplius turbando poſſeſſorem.

LXXXVI.

Dilatoriæ exceptiones regulariter omnes ante litem conteſtatam opponi debent. Quid autem, ſi quis de novo aliquam inveniſſe ſe dicat, ſuperq́; hoc juramentum præſtare paratus ſit? Putamus eum audiendum.

LXXXVII.

Quærunt Dd. de actionibus, quæ introducuntur à Ducibus, Marchionibus &c. noſtri temporis, civiles ne ſint an prætoriæ. Vulgo prætorijs attribuunt. Sed tamen verius ſentiunt qui civiles eas eſſe autumant.

LXXXVIII.

Alios contractus verborum obligationem inducentes præter ſtipulationem non habemus.

LXXXIX.

In faciendi ſtipulatione præcisè ad factum nemo tenetur.

XC.

Fidejuſſor pro dote à marito exigi non debet. Sed annè à volente accipi poteſt? Affirmamus.

XCI.

Rem furtivam apud furem ad mortem condemnatum inventam, Domino illius, non fiſco tribuimus.

92. Malè

XCII.

Malè quidam ex c. inter opera. 20. extra de ſponſ. & matrim. deducunt, pœnam condemnato irrigandam, ſi puella vel meretrix reum in maritum petierit, ei remittendam eſſe.

XCIII.

Conſtitutio l. 5. C. ad L. Jul. majeſt. ad principes ſuperiorem recognoſcentes (excipe Electores) extendenda non eſt.

XCIV.

Acriter controvertitur, utrum in caſu d. l. 5. C. ad l. Jul. Majeſt. hæreditates quæ filijs rebellium poſt publicata bona patris deferuntur, fiſco an verò agnatis adquirantur? Hos præferimus.

XCV.

Lege Julia non fuit adulterium morte naturali punitum.

XCVI.

Diſpoſitio l. un. C. de rapt. virg. etiam in muliere locum habet.

XCVII.

Interficere volens Sejum & Cajum occidens ordinaria Legis Corneliæ pœna tenetur.

XCVIII.

Numerum claudant ſequentes quæſtiones feudales. Feudum uſumfructum eſſe negamus.

XCIX.

Pater uni ex filijs feudum prælegare nequit.

C.

Legitimatos per ſubſequens matrimonium in feudo non ſuccedere defendere nitemur.

FINIS.

05 A 2052
ULB Halle 3
003 784 69X
V072
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0015-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0016-5

XCII.

Diſputatio juridica

Continens

CENTURIAM POSITIONUM

CONTROVERSARUM

Quam

Divina annuente gratia

SUB PRÆSIDIO

Viri Clariſſimi & Conſultiſſimi

Dn. VALENTINI GUILIELMI FORSTERI J. U. D. ET PROFESSORIS ORDINARII, PRÆCEPTORIS SUI PLURIMÛM COLENDI

Publicè diſcutiendam proponit

FRIDERICUS LENTIUS VVITEBERGENSIS.

Ad diem 28. Septemb.

In Auditorio JCtorum.

GROSSHERZOGL. MEKLENBURG SCHWERIN. REGIERUNGS-BIBLIOTHEK

WITEBERGÆ,

Ex officina typographica Martini Henckelij.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-598590-p0017-1